WISHART
DE CORTICE
PERUVIANO

Supp. 59441/B

76

25

In the Peruvian book

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b3053270x

For the Revnd Mr Adams

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
Cortice Peruviano.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri

D. GULIELMI WISHART, S.T.D.

Academiæ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,
et Nobiliſſimæ Facultatis MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in Medicina Honoribus, ac Privilegiis, ritè et legitimè conſequendis,

ERUDITORUM Examini ſubjicit

CHENEY HART *Anglo-Britannus, A. et R.*

Ad diem 3 Maii, Hora Locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Typis R. FLAMINII, M.DCC.XLVIII.

NOBILISSIMO, ORNATISSIMO, SPECTATISSIMO

HUGONI

Domino *WILLOUGHBY*,

BARONI de PARHAM;

Ob Pietatem in Patriam,

Humanitatem in omnes,

Morum Facilitatem et Elegantiam,

Ingenii Solertiam,

Generoſæ Mentis Indolem,

Admodum conſpicuo, et verê Nobili.

NEC

NEC NON

THOMÆ PERCIVALL, M.D.

Medico Perito, Sagaci, Prudenti,

HIPPOCRATICO,

In Arte Apollinea, inſigni cum Laude
Fælicibuſque ſucceſſibus,

WARRINGTONI jam per plures annos verſato.

Haſce Studiorum ſuorum Primitias,

ſummâ, ut par eſt, obſervantiâ,

D. D. D.

CHENEY HART.

Diſsertatio Medica

INAUGURALIS,

De Cortice Peruviano.

MORBOS depellere, *i. e.* ſanitatem præſentem conſervare, amiſſam reſtituere, ſummum medici opus eſt: ideoque cum hæc res ſit tanti momenti, tantique interſit toti humano generi, haud mirandum eſt, ſi ſemper et ab omni ævo maximi honores deferentur medicis. Diſciplinâ enim, quâ et ſanitas et vita foventur, quid melius, quid præſtabilius? Firmæ namque corporis valetudini nullæ opes nec fortunæ anteferendæ. Mortales quippè doloribus fatigati nullis hujus vitæ frui poſſunt bonis, et cuivis igitur vel ignaro homini ſe tradere malunt, quam abſque medicinâ eſſe. Et reverà abs eâ ſi foret, magnâ parte mortalium orbis ante diem careret, major etiam numerus hominum, magnâ vitæ ſuæ parte, civitati inutilis, morbo ac dolore ſolis eſſet occupatus.

Aſt medicinæ utilitati par ejus comparandæ difficultas, et ad veri medici titulum evehi quam arduum, quam difficile! Rerum, quas extra hominem ſcrutatur medicina, immenſa contemplatio; quas intra corpus humanum inveſtigat, abſtruſa indagatio. Hinc paucis multa comprehendere ſolitus *Hippocrates* dixit *(a)* ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ κρίσις χαλεπὴ. Atque alibi ſic optimè monet *(b)*, οὕτω καὶ οἱ ἰητροὶ φήμη μὲν, πολλοὶ: ἔργω δὲ, πάγχυ βαιοί.

Ut autem hoc nomen digniſſimè mereamur, atque arte ſaniferâ ægris prodeſſe poſſimus, oportet ante omnia ut ſcientiam accuratam habeamus earum rerum atque ſimplicium quibus quotidie utimur in ſanando, i. e. *materiæ medicæ.* Turpe etenim videtur artifici propriæ artis

instru-

(*a*) Aphoriſm. Lib. Sect. 1. Aph. 1. (*b*) Hippocrat. Lex---Opera omnia, curante Fæſio, *Genevæ*, 1657. fol. p. 2.

inſtrumenta ignorare, et licet medicus optimè perſpexerit quid in corpore mutandum ſit, ut fiat ſanitas, ſi non noverit illa auxilia, quibus hæc mutatio perfici debet, prodeſſe minime poterit. Quinetiam in graviſſimos hominumque ſaluti nocentiſſimos errores impingat neceſſe eſt, qui materiæ medicæ penitus rudis et ignarus, morbos debellare ſuſceperit armis, quorum vera virtus et efficacia prius ipſi perſpecta non fuerint. Sic enim præparatæ medicinæ raro ſanitatem, ſæpiſſime mortem afferunt, ignorantiæ finem.

Cum autem de remediorum virtutibus fama ſit tam ficti pravique tenax quam nuncia veri, non ſufficit perfunctorie didiciſſe Pharmacorum nomina atque ſuppoſitas vires, ſed quantum poſſibile inquirendum eſt in eorum certos, ſaltem primarios effectus, quando corpori humano viventi applicantur, quoniam idem remedium aliter afficit ſanum hominem quam ægrotantem, atque unum quam alterum. Etſi enim quodammodo perfectam hujuſce cognitionem in plurimis ſanè caſibus, ob ſummam rei difficultatem, optandam magis quam ſperandam fateor, ad eam tamen quoad fieri poteſt, adnitendum exiſtumo, ut tanto certius in poſterum medicus medicaminis futurum eventum prævidere poſſit. Quanta inde medicantibus lux, ægrotantibus ſalus, et omnium humanarum artium præſtantiſſimæ dignitas accederet! Innumera dici poſſent ad commonſtrandum, quod artis opera exercitaturus hac ſcientiâ carere nequit; ſed me ultra ſcopum et limites protraherent, ideoque prætereunda: liceatque hic loci ſolummodo addere, quod pauciſſimis verbis dicit latiniſſimus *Celſus*, (*c*) *non tam intereſt*, *quid morbum facit*, *ſed quid tollit.*

Nunc itaque, cum laudabilis hujus Academiæ (ubi maximo cum fructu et puritate medicæ, ut et aliæ, diſciplinæ traduntur) mos unicuique, ad gradum doctoratûs artiſque honores aſpiranti, legem impoſuerit, Diſſertationem inauguralem conſcribendi, mihi jam candidato propoſitum eſt, quædam hac occaſione proferre de Cortice Peruviano, omnium excellentiſſimo, quæ hactenus innotuêre, febrifugo, cujus effectus ideo et præſtantiam omnes ſummâ cum admiratione intuentur. Non tamen nova, vel adhuc inaudita, hîc expectet B. L. potius quæ hiſce pagellis habentur, non ex proprio penu deprompta, ſed multa eorum ex fundamentis præcîpuè, quæ mihi ſuppeditârunt accuratiſſimæ de hac re prælectiones egregii noſtri Materiæ Medicæ et Botanices Profeſſoris, D. Alston, quem quidem me audiiſſe ſenex

(*c*) Præfat. Lib. I. p. 9.

ſenex olim (ſi modo Deus annos concedet) gratus ſemper recordabor. Et, mehercle, rem præclare ſatis geſſiſſe mihi videbor, ſi virorum in arte principum ſenſum aſſequi, atque illis non indigna, et doctiſſimis medicinæ Profeſſoribus non diſplicitura, proferre, fæliciter mihi obtigerit; ſin magnis auſis excidam, in magnis voluiſſe juvabit; quem non adeo autoris ambitus urget, quam obſequium in leges Academiæ hujus, aliquid ſpecimen a præceptoribus hauſtæ doctrinæ dare jubentis. Atque hoc Thema imprimis arriſit, tum quia ex propriis ſcrutiniis ad hanc Diſſertationem concinnandam requiſitis ipſe melius uſitatiſſimi hujus Corticis effectus et veras virtutes dignoſcerem. Tu igitur, quiſquis es, Lector, noſtris hiſce primis conatibus, ut faveas, et de iis (ſiquidem res videbitur tui judicii) cordatè judices, a tua humanitate contendo. Sique erratum alicubi, et nonnulla minus prudenter, vel in concinnando ordine, vel in ratiociniis, vel rudiori ſtylo, interſperſa occurrant, hæc benigno ut interpreteris animo, rogo, et confido. Neque paucis offendaris maculis, quas aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura. Neve tandem mihi dedigneris, ſi in meſſem alienam ſæpius mitterem falcem: mecum enim habito, et novi quam ſit mihi curta ſupellex. Ideoque ſæpiſſimè ab aliis autoribus ea, quæ mihi proſint, deſumere cogor.

——— ——— Apis Matinæ
More modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum---(*d*)

Auſpicaturus itaque admirandi hujus Corticis Perquiſitionem, operæ pretium (vel ſaltem receptæ conſuetudini congruum) fore exiſtimavi, ſi Cognitio Nominis & Hiſtoriæ, Deſcriptio & notæ bonitatis Rerum inveſtigationi præmittantur. Sœpiſſime apud nos eminentiæ gratiâ vocatur ſolummodo CORTEX, atque καθ' ἐξοχὴν titulo FEBRIFUGI quandoque inſignitur. Sed apud varios Autores varia obtinet nomina, quorum præcipua ſunt ſequentia, *Cortex Peruvianus*, *Cort. Jeſuiticus*, *Caſcarilla*, *Kina-Kina*, *Quina-Quina*, *Chinchina*, *Kinkina*, *Quinquina*, *China-China*, quod lingua Hiſpanica ſignificat *Cortex Corticum*, *Cortex Cardinalis de Lugo*, *Pulvis Patrum*, *Pulvis Comitiſſæ*, &c. Anglice *the Peruvian* or *Jeſuits Bark*, vel emphaticè, *the Bark.* Quæ omnia nomina ei donantur, vel a virtutibus quibus gaudet, vel a loco

(*d*) Horat. Carmin. Lib. IV. Od. 2.

loco unde fertur, vel ab hominibus qui primi eo utebantur. Cortex eſt Arboris non admodum proceræ in *Peruvia* creſcentis, prope urbem *Loxam* præcipue, in montibus qui hanc urbem cingunt. Arbor ipſa vocatur a *Raio* in hiſt. plant. II. 1796. *Arbor febrifuga Peruviana, China-Chinæ, & Quinquina, & Gannaperide dicta. Mortonus* eam *Arbor vitæ* nominat, quoniam, uti ait, in ſanitatem gentium proculdubiò, a Deo O. M. conditur. (*e*)

Cortex eſt craſſitie mediocri, admodum ſiccus, & friabilis, foras ſcaber, ſubfuſcus, vel paululum caneſcens, aliquando muſco obductus, ſæpiſſimè fiſſuris tranſverſalibus leviter inciſus, intus lævis, colore ferrugineo vel rufo, inſtar Cinnamomi ferè, ſapore peculiariter amaro aſtringente, mucido, cum quadam aromaticitate non injucunda, & odore prorſus ſingulari. Modo in craſſiores Cortices affertur tres quatuorve uncias & amplius longos, unciam latos, non convolutos, ex trunco avulſos: modò in cannulas paululum convolutas, non adeo craſſas, inſtar Caſſiæ ligneæ, externè fuſcas, intus rubentes, ex ramis tenuibus detractas: modo quoque advehitur in fruſtula tenuia ſeu minutim conciſa, internè flaveſcentia, externè caneſcentia (*f*).

Placet hic criteria genuina adjicere, ex quibus verus a ſuppoſititio Cortice diſtinguere liceat, quæ articulis perpaucis facilè comprehendentur. Genuinus itaque & optimus habetur, 1. qui intus colore rutilo flavo Cinnamomum viſui refert, nec fuſcus nec nigricans * eſt, atque contritus particulis collucentibus quaſi ſcatet, pulveratus vero adhuc magis rutilat. 2. Dentibus attritus, vel quocunque alio modo fractus, friabilis, non viſcidus, aut glutinoſus eſt, neque effætus, carioſus, aut inſipidus eſt: ſed 3. Sapore gaudet amaro, aromatico, nec tamen intenſè amaro aut injucundo, nec vehementer aſtringente. 4. Odorem ſpirat peculiari modo mucidum, non facile deſcribendum, attamen ſuavem, gratum, ac aromaticum. † 5. Neque adulteretur aut miſceatur quocunque alio Cortice ſucco Aloës intincto. ------- Is Cortex

(*e*) Exercitat. I. De Febribus, cap. VII. Mortoni opera Medica, Lugduni, 1696---4to. p. 210. (*f*) Geoffroy Tractat. de Materia Medica, tom. II. p. 179.

* *Nigricans* colorem ſuum ab *Aloë*, aut aliquo alio ejuſmodi proculdubiò mutuatus eſt. † Huic ſenſui in Corticis genuini ſinceritate deprehendenda, præ cæteris omnibus, credidit Mortonus, et Corticem, cui gratus hic ac peculiari modo mucidus odor deeſt, qualemcunque ſaporem vel colorem referat, ſemper ſuſpectum habuit. vid. Oper. p. 230.

tex, *Liſtero* judice, (*g*) optimus eſt, qui e trunco arboris, mox qui e ramis majoribus, deinde qui e ramuſculis habetur: at ex ipſis ſummis & tenuioribus ſurculis, ait ille, non niſi crudus et acerbus Cortex detrahitur. ------ Atque hiſce potiſſimum ſignis dignoſcitur verus hic Cortex. Utinam omnis qui proſtat in Officinis venalis his ſignis reſponderet, ſed aliter ſæpius contingit, et reâpſe maxima hujus pars eſt ſpuria, effæta ac putida, ad parvam quantitatem genuini ac vegeti Corticis miſta, ex vafritie et avaritia mercatorum, unde effectus ejus magis incerti ſunt. Teſtes appello medicos omnes æquos expertos. Fucus iſte verò haud ita facilè deprehenditur, ubi in pulverem Cortex redigitur.

Vis Febrifuga hujus Corticis jamdudum (caſu fortaſſe inventa) indis occidentalibus innotuerat, priuſquam vel Europæi ad has regiones pervenerunt. Verum uſque ad annum ſalutis 1640 ex odio Indorum erga Hiſpanos concepto, de induſtriâ celabatur, donec quidam Hiſpanus *Loxæ* præfectus, et de quodam Americano bene meritus, ab eo, gratitudinis cauſâ, hocce remedium accepit, quo quidem paulo poſtea uxorem Proregis, *Comitis de Cinchon*, febre tertianâ ſæviſſimâ, ſtupentibus omnibus, curavit, unde *Pulvis Comitiſſæ* nominabatur, quoniam et ipſa Comitiſſa in Hiſpaniam redux magnam hujus Corticis copiam ſecum attuliſſet, et pauperibus aliiſque febribus laborantibus diſtribuiſſet, magno cum ægrorum ſolatio, tum medicorum et populorum ſtupore. Sed plenior atque accuratior hujus rei et arboris hiſtoria noſtro inſtituto nimis eſt aliena, minimèque hic loci conveniret, quæ optime habeatur vel apud *Morton. Exercitat. de Febrib.* cap. VII. vel in *Geoffroy Tract. de Mater. Medic.* Vol. II. p. 180. et ſeqq. vel potius in *Actis Pariſinis*, ann. 1738. a D. *Condamine* Botanico inſigni, cujus ſcriptum de hoc qui conſulit, multa ſane inveniet notatu digniſſima, multa licet incerta atque dubia, ſi non prorſus falſa.

Circa annum autem 1653, referente *Sydenhamo*, apud Londinenſes in exterminandis febribus intermittentibus, maximè quartanis, primum cæpit inclareſcere Cortex Peruvianus. Statim tunc obortæ ſunt lites inter medicos de ejus uſu et adminiſtratione; dum enim laudatur ab his, culpatur ab illis; ut legentes, ac præcipuè juvenes, dubios relinquant, in quam partem ſe dedere debeant. Alii ſcriptis, verbis alii, adverſus

(*g*) In Mantiſſa annexa Tr. ſuo de Hydrophobia. Exercitat. Medicinal. p. 55.---4to.

ejus utilitatem ſtrenuè arguebant, etiam effectuum exitialium adducebant teſtes, et fronte torvo vituperabant uſus. Alii e contrario ſucceſſus ejus ſalutares ſummis laudibus ad ſidera tollunt, nec minus indubitatam hiſtoriarum fidem appellant, ad ſuas partes firmandas. Et quidem ex ſequentibus facile liquebit, neutros a veritate penitus aberrâſſe. Alii vero, iique peſſimi certè mortalium, turpis lucri cauſâ, aliis tectum remediis clam dabant corticem, quem publicè damnabant tanquam nocentiſſimum, ut viderentur aliis arcanis perficere curam febrium harum, quæ ſoli debebatur optimo huic Cortici; ſicque miſeros ægros, largiſſimo pretio extorto, emungebant, medicorum nomine indigni.

Ut autem melius de hocce remedio judicare poſſimus, neceſſarium duco, teſtimonia quædam autorum præcipuorum ex utraque parte huc adducere, dein accurato ſubjecto examine ſimplicis ipſius, quatenus ſenſus noſtri huic ſcopo inſerviunt, hæc teſtimonia inter ſeſe comparare, et dein morbos ſingulatim enumerare, in quibus, hodiernâ praxi, jam maximi uſûs invenitur hic Cortex.

Sunt vero oppidò multi, qui in laudes hujus Peruviani Corticis eunt, atque magnificè admodum de eo ſentiunt. *Bartholinus* (*h*) Cardinalem de *Lugo*, plus mille teſtimonia, hoc Cortice curatorum anno 1653, quo quartanæ duplices et ſimplices graſſatæ, habuiſſe, memorat; de *Fonſeca* vero, celeberrimo ſui ævi medico, ibidem refert, quod exploraverit noſtrum Corticem, eundemque non innoxium tantum, verum etiam ſaluberrimum deprehenderit. *Franc. Redi* (*i*) *miraculoſum* hujus Corticis effectum vocat ad interrumpendos et debellandos paroxyſmos febris quartanæ, nec non tertianæ ſimplicis, duplicis, et continuæ; maximaſque gratias deberi cenſet patribus, qui primi omnium eundem cum tantâ ſuâ gloriâ detulerunt in Europam. *Williſius* noſter (*k*) diſertis ſcribit verbis, ex centum hoc remedio uſis, vix unum non convaluiſſe; et paulo poſt eum unicum adhuc repertum febris quartanæ alexiterion vocat. Cui accedit illuſtre illud Angliæ decus *Rob. Boyle* fidem faciens, (*l*) ſe unâ vel alterâ doſi Corticis hujus Febrifugi, ad drachmam unam propinati, ſæpius quartanas, quæ per annum durârant, abegiſſe, idque etiam Hyeme: quin ex autoritate *Digbæi*, medici tunc temporis præſtantiſſimi, dicit culpandum potius eſſe medicum quam nobile medicamentum,

(*h*) Centur. v. Hiſt. 50. (*i*) Experimenta circa varias res naturales. p. 143. (*k*) Lib. de febribus, c. vi. p. 70. Operum omnium, ſtudio Gerard. Blaſii M. D. —Amſtelædami, apud Wetſtenium, 1682. 4to. (*l*) In Tr. de utilitate Philoſoph. experiment. pars i. cap. 2. itemque pars ii. cap. 3.

tum, ſi poſt ejus exhibitionem unquam revertatur febris. Atque doctiſſimus *Mortonus* (*m*) ita diſſerit; " Illud ἱερὸν πικρὸν, Cortex ſcil. Peru-" vianus, conſenſu medicorum hodie omnium ferè expertiſſimorum *fe-" brifugum catholicon* eſſe comprobatur, quòd omnes febres intermittentes, " et alias plurimas, in quavis anni tempeſtate, in omni ſexu, ætate, et " temperamento radicitùs et penitùs, citò, tutò, et feliciter ſanet. " Et paulo poſt addit, " certè non eſt ut medici ingenia ſua amplius tor-" queant in aliis febrifugis explorandis, modo hujus uſum ſatis perſpec-" tum habuerint. " Fæliciſſimus ille et prudentiſſimus medicus *Sydenhamus*, quamvis non quidem adeo vehementer eum extollit, optimum tamen tanquam remedium laudat in febribus intermittentibus, et his verbis dicit, (*n*) " ſi ætati placuiſſet ad ea animum advertere, quæ in " hiſtoria morborum acutorum tradideram, quo pacto ſcil. Cortex in in-" terjectis paroxyſmorum ſpatiis debuerit miniſtrari, tum poſtea repeti " ægro jam convaleſcente; viverent fortaſſis haud pauci eorum, quos " jam terra tegit. " In *Belgio* celebres et peritiſſimi medici plurimi hunc Corticem fecerunt et adhuc faciunt: atque inter *Germanos* famigeratiſſimus ille Profeſſor *Hallenſis*, eruditiſſimus *Hoffmannus* optimum antefebrile eum vocat, (*o*) et ait " ſi debito tempore, debitâ doſi et quanti-" tate exhibebitur, et cum Diaphoreticis et reſolventibus rite permiſce-" bitur, nocebit nunquam. "

Contra hæc omnia teſtimonia, ſunt pariter et fuerunt permulti periti docti et clari medici, qui minus favent huic Cortici, illumque infidum, inſecurum, quin plane noxium vocare medicamentum haud erubeſcunt. Complures, experientiâ et obſervationibus fidem ſibi præſtruere contendentes aſſerunt, uſum Peruviani Corticis non modo non recidivas longè graviores, ſed et novos prorſus et inſanabiles chronicos morbos inſequi, cachexiam ſc. tumores pedum œdematoſos, hydropem, pertinacem alvi obſtructionem, Præcordiorum anguſtiam, pathemata hypochondriaca et hyſterica, tumores ſchirrhoſos abdominis, ſcorbutum, icterum, &c. *Etmullerus* (*p*) aſſerit quod niſi præmiſſis univerſalibus debitis adhibeatur, ſemper relinquat metum recidivæ; ideoque ei præferendum ſuadet radicem Gentianæ egregium, uti ait, febrifugum, ad drachm. 1. ante

(*m*) De Febrib. int. cap. vi. p. 209 (*n*) Epiſtola i. reſponſoria, p. 309——Operum. Lugdun. Batavor. 1726——8vo. (*o*) Medicin. rational. ſyſtemat. tom. iv. § 1. cap. 1. et 2.——vel opera omnia, Genevæ edit. fol. vol. ii. p. 28. (*p*) Operum, vol. ii p. 29.

ante Paroxyſmum adhibitum. *Baglivius* (*q*) *Romæ* non ita fælices eventus ab hoc Cortice expertus eſt, ſicuti in aliis regionibus alii experti ſunt, et dicit " Chinam Chinam dare corpore impuro, i. e. in principiis " morborum, nullis præcedentibus ſignis coctionis, et corpore non pur- " gato, piaculum eſt in aëre Romano; methodus damnabilis ac per- " nicioſa-----Itaque, ſi quandoque eâ utor, utor ſane in fine morbi, " corpore jam purgato, et ſine ullâ viſceris læſione; et eâ indicatione " utor, ut tonum, vim ac robur det ac reſtituat ſolidis ac fluidis longo " morbo relaxatis, inertibus, vappidis; in ægris humidi, craſſique cor- " poris habitus." Atque alter Italus non inferioris notæ medicus, *Ramazzini* (*r*) dicit quod uſu Corticis Peruviani per aliquot dies equidem ſub doloſo cinere latebat ignis, verum poſtliminio violentior recandeſcebat: atque alibi monet quod in frigidis et humidis conſtitutionibus, quæ corpora craſſis humoribus infarciunt, parum ſalutarem eſſe Corticis Peruviani uſum. Et in eliganti Diſſertatione epiſtolari, quam conſcripſit *de Abuſu Chinæ Chinæ* fatetur ſibi in magno pretio habitam Chinam Chinam, in juvenili ætate ſua, ac in virili etiam ſtatu, atque illâ familiariter uſum; procedente vero ætate, experientiâ edoctum, a priori ſententia receſſiſſe ſe non parum, et non niſi cum ſummâ cautione remedium hujuſmodi præſcripſiſſe: et aſſerit rationalem non eſſe ejus uſum, ſed mere empiricum et amethodicum: narratque hiſtoriam cujuſdam legionis pedeſtris, quæ propè *Manhemium* æſtiva caſtra poſuerat, et paulo poſt 400 fere milites febre tertianâ correpti fuere, quibus chirurgus ad aliquot dies Chinam Chinam exhibuit, qui brevi omnes hydropici evaſêre, cum omnimoda virium et appetitûs proſtratione. Et in *actis publicis Lipſienſibus* ann. 1701 legitur de conſtitutione quadam *Uratiſlavienſi*, anni 1699, in quâ febribus continuis populariter graſſantibus, Chinchina univerſaliter exhibita cauſa potiſſima habita fuerit, quæ annum illum nefaſtum plurimorum morte reddiderit. * Nimius eſſem ſi plura referre vellem mala, quæ apud graviſſimos ſcriptores de China China leguntur, ex quibus a multis medicis condemnatur ejus uſus tanquam noxius, imo deleterius; licet, ut apparebit forte ex ſequentibus, hæc damna

(*q*) Opera omnia medico-practica, edit. Antwerpiæ, 1715. 4to p. 389. (*r*) Operum omnium, Londini, 1718. 4to p. 72. in diſſertat. de conſtitut. epidemic. ann. 1690.

* Cl. *Stahlius* etiam tam in *theoria med.* quam *opuſc. phyſico-med.* p. 432, neque minus ex Stahlio, *Junckerus* in *conſpect. medic. theoret. pract.* p. 261. ſeqq. et paſſim, Chinæ Chinæ in febribus uſum et impugnarunt et rejecerunt.

na potius medentis incuriæ, quam optimo huic remedio, tribui debent. Atque medicorum obſervationes numeroſiſſimæ confirmant, omnia ſimilia mala, a febribus intermittentibus, producta fuiſſe, antequam Corticis uſus Europæis innotuerat----Neque minus verenda hæc incommoda, quam appetenda iſta (commoda ſc.) ſi forte infælici auſpice porrigatur. Infauſti autem eventus remedii utilitatem haud minus prædicant, quam effectus optabiliores; inſitam ejus vim demonſtrant, efficaciam probant, dum porrigentis imperitiam vel temeritatem redarguunt, nec hominis excidii reum habendum eſt Medicamen, ſed manus quæ ineptè vel intempeſtivé miniſtrant.

Sed jam tempus eſt, ut e diverticulo in viam eamus, atque corticem ipſum ſenſibus noſtris examinemus, quo melius deinde naturam et virtutes ejus veras indagemus.

1*mo*, Itaque, ſapor ejus, ut antea diximus, eſt calidè amarus, nec tamen adeo intenſe amarus ac Gentiana vel Abſinthium, nec ita ingratus ac Aloës; attamen amaritudo ejus diu ſentitur in ore, etiam per duas treſve horas manet aliquando hic ſapor, ſi os non colluatur poſtea. Eſtque præterea ſapor ejus ſatis gratus, et, uti *Mortonus* optimè dicit, (*s*) *aromaticè amarus*, ſed vix vocari poteſt Stypticus aut aſtringens; aliquando enim guſtui tantummodo ſiccus videretur, aliquoties aſtringens vel ſubaſtringens, inſtar rad. Acetoſæ, quæ non valde aſtringens eſt. Solutio Vitrioli viridis, in qua pulvis hujus corticis infundebatur, non nigreſcebat, aut purpuraſcebat, more omnium aſtringentium, ſed pulchrius ſolummodo videſcebat: inde plus virtutis expectandum eſt ab ejus amaritudine quam ab aſtringentia, quam minori tantum gradu poſſidet. Huncce colorem ſpir. vitrioli vel aceti deſtruxit, atque infuſum reddidit plane pellucidum; unde energia corticis non ab acidis ejus ſalibus pendere videtur, licet D. *Geoffroy* (*t*) aliter ſentit. Infuſum ejus ſyrupo violaceo miſtum vix colorem ejus mutavit, tantum dilutiorem reddidit, a quantitate aquæ. Tincturam heliotropii rubro colore infecit; hoc vero non debetur aciditati ulli, tunc enim alcali rubedinem deſtruxiſſet, quod non tamen evenit. Charta cærulea hoc infuſo madefacta cinereo-cærulea evaſit. Idem infuſum cum oleo Tartari per deliq. fœtidum exhalavit odorem, et Mali aurei vel Croci colorem exhibuit; unde concludere licet, ſalem hujus corticis eſſentialem quodammodo ammoniacalem eſſe, neque alcalinum nec acidum.

(*s*) Exercitatio I. de febribus, cap. viii. p. 230. (*t*) Tract. de mat. med. Vol. II. p. 185, &c.

2do, Licet Cortex Peruvianus intra minuti ſpatium, vel etiam minus, aquam fervidam valdè amaram facit, tamen multis atque repetitis diuturnis decoctionibus atque infuſionibus opus eſt antequam tota amaritudo ita extrahatur; attamen quam multis eget, ut prorſus inſipidus inde fiat, adhuc ſanè nequaquam comperit Profeſſor noſter diligentiſſimus in experiundo, qui plus quam duodecies cum eodem Cortice experimentum fecit, in ultimâ tamen infuſione amaror inerat, licet inter tempus primæ et ultimæ infuſionis fuere novem menſes. Cortex, qui ſupererat poſt varias haſce infuſiones, probè ſiccatus et ponderatus, jam 79 gr. pendebat, qui in initio ante primam infuſionem 102 gr. pependerat; aqua igitur, hiſce repetitis infuſionibus, tantummodo 23 gr. totius extraxerat. Reliqua hæc 79 gr. tunc in aqua decoxit per horam unam aut alteram, quæ decoctio, adhuc amara, cum ſolutione vitrioli turbida facta eſt, atque reſtiterunt adhuc Corticis 75 gr. quæ etiam pro ſecunda vice in aqua decocta amiſerunt ſolummodo gr. 1. et ½; et demum, pro tertia vice decocta, amiſerunt tantum gr. 1. quæ tamen tertia decoctio colorem ſuum non mutavit, affuſâ ſolutione vitrioli. Sic ex gr. 102 Corticis, aqua repetitis infuſionibus et decoctionibus extraxerat gr. 29 et ½. Reliqua gr. 72 et ½ in unc. 1. ſſ. ſpiritus vin. rectif. infuſa per 40 dies amiſerunt tantummodo gr. iv. Reſiduum ſiccatum pondere æquans gr. 68 et ½. Attamen poſt omnia hæc experimenta, moles, ſtructura ac firmitas Corticis parum mutari videbantur.---Porro, Corticis Peruviani drachm. ii in ſpir. vin. Gallic. unc. ii infuſis, intra 5 horæ minuta tinctura elicita eſt; poſt 14 dies reſiduum exſiccatum pendebat gr. 88, ideoque ſpiritus hicce intra 14 dies ſine calore extraxerat gr. 32, i. e. quantitatem circiter æqualem ei quam aqua in prioribus experimentis extraxerat per 9 menſes---Ex duobus itaque hiſce obſervatis apparet, ineſſe Cortici partem diſſolubilem, quam vel ſpiritus vini, vel aqua ipſa, longiori autem tempore, totam elicere poteſt, quæque pars diſſolubilis eſt ad indiſſolubilem ferè ut 3 ad 10 plus minus.

Nondum occaſionem nactus ſum experiundi, quantum Corticis Peruviani Bilis animalis aut humana diſſolvet, quam tamen primo quoque tempore me experturum ſpondeo. Interim quatenus a priori judicare licet, credibile eſt majorem partem Corticis in bile diſſolutum fore, quam vel in aqua aut ſpiritu, cum Bilis ſit ferè menſtruum univerſale: et ex tali experimento fortè cognoſceremus quantum Corticis in primis viis diſſolveretur, i. e. quanta et qualis ejus pars quæ per lactea reſorbetur, et ſanguinem intrat.

3tio,

3tio, Hæc Corticis pars diſſolubilis partim reſinoſa vel ſulfurea, partim gummoſa vel mucilaginoſa eſt, et quatenus ab experimentis concludendum, in Corticis gr. 60. inſunt circiter gr. xv. reſinoſæ ſubſtantiæ, gr. v. gummeæ vel ſalinæ, et gr. 40. fibroſæ ligneæ indiſſolubilis. Parum tamen Terræ fixæ, ut Chemici dicunt, Cortici ineſt, ſolummodo ut 1. ad 8. nam uncia una Corticis in crucibulo ad albedinem calcinati reliquit gr. x. Terræ.--- Porro, totum id, quod ſpiritus rectificatus (in N.º 2do) diſſolvebat, non erat reſina, ut idoneo capto experimento apparuit. *

4to, Amarities Corticis præcipuè, ſi non omninò, hæret in tenaciori reſinoſa ejus parte, quæ difficilius ideo ac lentius diſſolvitur, ſecus ac fit in Gentiana, Chamœmel. et omnibus aliis, quas adhuc novi, Plantis, quarum amaror ineſt maximè in gummoſa parte, vel ſaltem oleoſa volatiliori, quæ longè facilius extrahitur, atque citius perit quam Corticis amaritudo, quæ vix ac ne vix penitus educi poteſt. Hæc obſervatio utiliſſima videtur ad explicandas ejus virtutes in Febribus intermittentibus, aliiſque morbis, nam veteres per amara remedia ſola ferè curabant intermittentes Febres. Nonne exinde liquet magnos ſanè effectus a Cortice aſſumto præſtandos fore; quamdiu enim in ventriculo & inteſtinis remanet, ſemper aliquid daturus eſt humoribus corporis, donec tandem totus, ſi poſſit, diſſolvatur. Propterea quod omnia liquida ab ægris hauſta ejus tincturam (quæ illic loci optimè elicitur) in ſanguinem deferunt; ideoque vires ſuas perpetuò impertit ſanguini.

5to, Per experimenta oculatiſſimi *Leuwenhoeckii* et præclari noſtri *Friendi* patet Corticem Peruvianum inſigniter quodammodo mutare ſanguinis craſin, quanquam ex eo non apparet, quomodo Febres intermittentes alioſve morbos curat. *Leuwenhoeckius*, qui maximè in rerum minutiis accuratiſſimè examinandis et deſcribendis inclaruit, in Epiſtola quam miſit ad Regiam Societatem Londinenſem, 28vo die Novembris, 1687, dicit (*u*) ſe aquam, (in qua Cortex infuſa eſt per 24 horas) cum parum ſanguinis ex ſuo digito commiſcuiſſe; tuncque hanc mixturam e veſtigio viſui opponens, " omnes ordinarios " ſanguinis globulos rubros undique ab hac aqua comprehendi con- " ſpexit,

* Chemica Analyſis Corticis Peruviani habeatur apud *Geoffroy* vel *Lemery*; ſed quoniam parum nos docet de vera Corticis natura, eam hic conſultò omiſi.

(*u*) Continuatio Epiſtolarum, &c. p. 119, 120. Lugd. Batavor. 1689.

" ſpexit, ac ſeſe ſeparare ſive diſpergere in minores globulos jacen-
" tes, quam qui numero ſex unum globulum ſanguinis confece-
" rant. Ac quoque particulas ſanguinis conſpexit jacentes, quæ
" tam parvæ erant, ut duntaxat trigeſimam ſextam partem uni-
" us globuli ſanguinarii eſſe judicaret. Præterea, aliquibus in locis
" globuli ſanguinarii in ſeſe jacebant coagulati, quod ortum eſſe judica-
" vit ex frigido humore, qui ad calidum acceſſerat ſanguinem. Porro,
" tincturam Corticis in ſpir. vini cum ſanguine commiſcuit, ac ſta-
" tim multos ſanguinarios globulos coagulare obſervavit; multi alii
" globuli quoque diſſolvebantur, ac in minores dividebantur, adeo
" ut, aliquibus in locis, non niſi exiguos contemplaretur globulos ſan-
" guinarios jacentes, qui numero ſex perfectum confecerant globu-
" lum ſanguinarium." Atque D. *Friend* (*u*) obſervavit ſerum ſan-
guinis per decoctum Corticis Peruviani, præ cæteris attenuantibus,
valde in fluorem redactum. Idem Cortex, vino ad Saturitatem in-
fuſus, ſummam ſanguini fluiditatem, & colorem elegantiſſimum conci-
liabat. Cum tinctura Corticis ſpir. vin. extract. ſanguis craſſus valde
& obſcurus; alio tempore paulo ſplendidior, tamen fortius adhuc
concretus. Quæ tamen concretio, potius menſtruo, quam rei ſolutæ,
adſcribenda eſt; ſpiritus enim ardentes, quodcunque ferè in iis medi-
camentum diſſolveris, ſanguini coagulum inducunt. Ideoque ex hiſce
experimentis concludit egregius ille vir, quod Cortex Peruvianus ſan-
guinis compagem attenuat & diſſolvit potenter. Licet forte nec hoc
ſequatur ex dictis; nam ſanguinis diſſolutio, ab utroque horum obſer-
vata, facta etiam videtur ab aqua ipſa, in qua decocta eſſet Cortex,
quæ ſola (ſc. aqua) cum ſanguine miſta, ejus compagem dilueret, at-
tenuaret, ſuâ ipſius virtute, etiamſi Cortex nihil tale perficeret. Porro,
" in venam canis jugularem injecta eſt (per eundem D. *Friend*) Corti-
" cis Peruviani decoctio fortis ad unc. i. ſſ. Poſt horæ quadrantem
" canis validâ et crebrâ cordis pulſatione, deinde ſpaſmis frequentibus
" correptus eſt. Injectâ ulterius unc. ſſ. obiit tetanodes. Sectâ poſt
" mortem venâ crurali et axillari, exiit ſanguis rutilans et liqueſcens.
" Poſtero die, apertus eſt thorax; pulmones rubicundi admodum, et
" turgentes; ſanguis in dextro cordis ventriculo plurimum accumulatus,
" et proinde compactus; in ſiniſtro tamen paucus, iſque ſatis fluidus.
" Pariter è vena porta et jugulari, liquidus effluxit, et ultra naturalem
" ſtatum rarus." Sed ex hoc experimento difficile admodum dictu eſt,
an

(*u*) In Emmenalogia, cap. XIV.

an ſanguinem attenuet an coagulet. Ni fallor enim, ſolum lac optimum, vel et aqua ipſa, in venas animalis viventis injecta, a quodam autore memorantur talis Peripneumoniæ ſpeciem induxiſſe, ac hîc habetur, unde cito animal ſuffocabatur. Ex omnibus hiſce ſolummodo concludere licet, quod inſignem aliquam mutationem ſanguinis, quocum miſcetur, inducit Cortex Peruvianus; inde tamen virtus ejus explicari nequit.

6to. Obſervandum, (quod majoris ſanè momenti eſt) multâ et diutinâ experientiâ compertum eſt, Kinam Kinam in ſubſtantia, et in tenuiſſimum pollinem redactam, citius et efficacius vires ſuas exerere, atque finem optatum attingere, quam infuſum vel decoctum, vel tincturam in quolibet menſtruo: eademque infuſa vel decocta imbecilliora eſſe, vel prorſus nihil valere in Febribus intermittentibus, niſi turbida propinentur, ſeu adhuc ſubtiliori tenuiſſimâ Corticis ſubſtantiâ turgida.----Præterea, obſervatur à nonnullis Corticem veterem, imo carioſum, febres intermittentes curare, ac æquè certè ac recentem et ſincerum. Sic diſertis verbis affirmat experientiſſimus *Liſter* (*x*), "Illud equidem propriâ experientiâ teſtor, me ante viginti annos, Cortice trunci ſæpe uſum eſſe ad craſſitiem et latitudinem volæ manus, magnis et profundis ſulcis et fiſſuris conſpicuo, velut in vetuſtâ arbore. Imo eumdem aliquando valdè carioſum putridumque ex neceſſitate, quod melior nullo pretio tunc temporis haberi potuit, et olim et nunc me vix unquam fruſtravit eventu optimo et deſiderato; maximè ſi ejus *modus* et *tempus* exhibitionis ritè obſerventur." ----Atque his etiam addere liceat, quod Reſiduum ipſum Corticis, ſuperſtes poſt infuſionem vel decoctionem in aqua, vino, aut ſpiritu vini, æquali ferè cum ſucceſſu ac Cortex ipſe, Febres intermittentes curavit, ſolummodo auctâ parum Doſi; cujus rei teſtimonia habemus in *Mangeti Bibliotheca Pharmaceutica*: et, uti nos audivimus, in conſtitutione quondam Epidemica hujus ipſius urbis, dum plurimi Febribus intermittentibus correpti fuere, idem hoc expertum fuit.----Ex hiſce itaque obſervatis, nonne apparet, quòd vera, ſaltem ſpecifica, virtus Corticis in Febre intermittente curanda, debetur parti alicui ejus fixiori vel tenaciori, non vero volatili, ſalinæ aut gummeæ? Ideoque ad explicandam ejus actionem in talibus caſibus, non recurrendum eſt ad ipſius aromaticum ſtipticum amarorem, aut aciditatem, quibus ſolis aliqui falſò conati ſunt operationem ejus explicare.

D *7mo.*

(*x*) Vid. Loc. antea citat.

7mo. Corticem Peruvianum ex ſua indole non deleterium, ſed planè innoxium eſſe remedium, jam extra omne dubium eſt, tutòque ad multos alios morbos roborante ſuâ vi curandos, debiliſſimis etiam hominibus datur. Incomparabilis et ingenioſus admodum *Van Swieten (x)* ad Corticis vires tentandas, ſumſit manè jejunus bihorii ſpatio integram hujus, in Pollinem contriti, unciam, neque aliquid inde detrimenti percipere potuit. Simile experimentum et ipſe in proprio corpore feci, ſine ullo tamen inde ſubſequente effectu obſervabili.----Atque ex longa experientia verè affirmat fidiſſimus *Sydenhamus* (*y*) ſe, nihil mali ægris accidiſſe ab ejus uſu, vidiſſe unquam, vel cum ratione ſuſpicari potuiſſe; niſi quod illi, qui longum et repetitum Corticis Peruviani uſum experti ſunt, in ſpeciem quandam Rheumatiſmi Scorbutici nonnunquam incidiſſe, quæ tamen perquàm raró accidit, et tunc facillimè curabatur remediis Antiſcorbuticis. *Mortonus* etiam fidenter aſſerit, poſtquam jam ad 25 annos, quotidiano uſu, ejus vires explorando expertus eſſet, ſe nuſquam noviſſe aliquid mali ab uſu Corticis cuiquam eveniſſe, præter ſurditatem aliqualem tempore uſûs moleſtam, quæ ſponte ilicò à morbo evicto, vel pulveris omiſſione ceſſavit ſemper.

Excuſſo ſic naturæ hujus Corticis examine, proferendæ ſunt ejus virtutes et vires generales, utpote ab hodierna aſſiduaque experientia comprobatæ. Agit igitur hoc ſimplex *totâ*, (ut *Galenicorum* loquendi formula eſt) *ſubſtantiâ*, et plura in ſe continet principia ad febres alioſve morbos ſanandos proficua, quæ rarius, vel planè nunquam in ullo alio Medicamento reperiuntur, eaque propter vehementer errant et falluntur ii, qui à ſola facultate aſtringente, aut amaricante, aut alia quavis, ejus effectum derivare ſatagunt. Generales certe Amarorum, Aromaticorum, atque leviter Aſtringentium Medicamentorum vires poſſidet Cortex hic, ideoque inter Stomachica numeratur jure optimo. Stimulat atque motum auget, Ventriculum roborat, tonum et elater ſuum fibris laxatis reddit, appetitum languentem excitat, ciborum concoctionem juvat, flatus diſcutit, circuitum ſanguinis liberum et æquabilem reddit, Perſpirationem promovet, humores viſcidos attenuat, vermes necat, atque, ut uno verbo dicam, optimum eſt in defectu circulationis ſanguinis à quavis frigida cauſa. Hinc magni uſûs eſt in Ventriculi atque Uteri etiam affectibus; atque in Cephalalgia, Odontalgia, Colicis aliiſque affectibus periodicis, imò in Variolis, Gangrænis, Sphaceliſque curandis,

(*x*) Vid. ejus Comment. in Boerhaav. Aphoriſm. Vol. II. p. 560. (*y*) Epiſtola Reſponſoria I. p. 299.--.et in Sect. 6. cap. v. p. 278.

curandis, laude dignos ſæpe præſtat effectus: ſed maximè commendabilis eſt ſuâ Febres intermittentes profligandi virtute, in quo caſu, omnibus aliis, quotquot adhuc inventa fuerunt, palmam facile præripit; eas enim ritè exhibita, tutò, citò, jucundèque ſanat. Quartana, (antehac Medicorum Opprobrium dictum, et omnium intermittentium ſanè curatu difficillima) Purgantibus, Vomitoriis, Sudoriferis, fruſtra tentata, imò per mediam ſalivationem (ut vidit Cl. *Van Swieten*) (z) conſtanti typo pergens, tollebatur Cortice Peruviano, qui cæteroquin corpus non obſervabatur mutare; ideoque, in tali ſaltem caſu, verè *Specifici* nomen meretur dictus Cortex. Plura fortè talia latent ad alios morbos remedia; fælices medici, ſi noviſſent! Multa horum fortè revelabit diligentior obſervatio, et ſera ætas poſteris, multa perpetua nox obteget.

Cum itaque tantis præclaris pollet viribus hic Cortex, quas agnoſcit præſens ævum, agnoſcetque futurum, non mirum eſt ſi de eo, ut et de omnibus heroicis Pharmacis, adeò diſputatum fuerit inter medicos, de modo ac ratione ipſius operandi; dum alii hoc, alii illud volunt. Noſtri non eſt nunc temporis tantas componere lites. Nam illa diſceptatio, uti per ſe ſatis magna eſſet et laborioſa, ita etiam huic inſtituto nimis aliena foret. Ea quippe provincia ad philoſophos potius pertinet. Sufficit interim medico noviſſe, quid agat Cortex humano corpori applicatus, licet modum, quo agat, ignoraverit. Neque hactenus aliquid bonæ frugis in praxeos commodum protulerunt omnes, qui hîc plus ſapere viderentur. Quinetiam propriæ tenuitatis conſcius probè novi, quam parum valeret in re tam gravi meum teſtimonium: Hoc tamen monendum eſt, quod ad hunc nodum ſolvendum, primùm explicari oportet cauſas primas morbi hujus proteiformis, Febris ſc. intermittentis, de quo ſcitè applicari poſſit illud Poëtæ,

———————facies non omnibus una,
Nec diverſa tamen, qualis debet eſſe ſororum:

Hujus autem cauſæ magis abditæ difficilius cognoſcuntur, cum ſæpè in intimis corporis humani penetralibus reconditæ latent. Diu equidem, ſed fruſtrante diligentiâ, a ſagacioribus medicis allaboratum eſt circa hanc rem, ut aliquid proferrent quod animum veritatis avidum expleret, *ſed vincit adhuc natura latendi*, ut olim de Nili origine cecinit *Lucanus*. Nullum tamen dubium eſt, his cognitis, fæliciorem curationem fore, et plures è mortis faucibus eripi poſſe, cum is demum verè medicum agat, qui rerum potuit cognoſcere cauſas.

In

(z) Comment. in Boerh. Aph. Vol. 1. p. 10.

In hac rerum caligine, hoc tantum proinde animadvertam, quod Cortex Peruvianus, nec vomitum ciendo, neque ventrem movendo, neque ſudores excitando, operatur; illumque videri, in his febribus curandis, potius earundem cauſam immutando et corrigendo, quam hanc e corpore eliminando, agere. Atque ſic quidem credit nunquam ſatis laudandus *Van Swieten* (*a*) quod abſque ulla evacuatione ſenſibili impeditur futurus Paroxyſmus, dato Cortice Peruviano. Quæ ſententia nobis non parum arridet. Licet perquàm benè novi, quod alii quidam Autores, et inter hos nuperus Anglicus doctiſſimus ſanè, (*b*) voluerint poſt febres intermittentes Cortice Peruviano fugatas, ſemper ferè ſequi inſignes evacuationes, per alvum, ſudores, ſputa, Urinam, &c. Præſertim autem, aiunt illi, poſt Corticem aſſumptum, ægros effudiſſe quandoque halitum quendam odore gravem, et fætidum adeò quandoque, ut adſtantes moleſtiſſimè afficeret, talemque halitum perduraſſe, donec alia quædam Excretio per alvum, Urinam, &c. prodiret. Voluntque hi Autores, Corticem Peruvianum tunc tantum tutò et abſque recidivæ metu febres intermittentes ſanare, dum poſt ejus uſum criticæ tales, uti vocant, evacuationes ſequantur per alvum, ſudorem, &c. ubi verò contrarium occurrit, recidivam metuendam eſſe. Attamen nullatenus iſtæ evacuationes criticæ, verùm potius ſymptomaticæ reputandæ ſunt; nam negari nequit, jam ceſſaſſe febrim Corticis hujus efficaciâ, antequam illæ evacuationes contingunt, adeoque non poſſe aſcribi febris intermittentis ſanationem in tali caſu expulſioni materiæ morboſæ per criſin aliquam ſenſibilem. Imò e contrario teſtantur *Sydenhamus*, *Mortonus*, aliique noſtræ artis Antiſtites, quod ſi poſt Corticis uſum, et febrim inde per 4, 5, aut plures dies ſilentem, eveniat aliqua evacuatio magna, vel per alvum vel vomitum, ferè ſemper tunc recidivam fore febrim; ideoque abſtinendum eſſe a leviſſima Catharſi, imò ab enemate mollisſimo ex lacte ſaccharato diu poſt ejus uſum, aliter recidivæ periculum imminere; imò *Mortonus* (*c*) noluit clyſma aliquod catharticum injicere per 4 hebdomadas, vel etiam menſes, a Corticis uſu, aut ſaltem facti eum pænituit. Fatendum autem eſt, quod plus quam ſemel ſagaciſſimum noſtrum medicinæ Profeſſorem, D. RUTHERFOORD, multiplici experientiâ et obſervatione edoctum, ſancientem audivi, quod rarò febrim prius ſedat Cortex Peruvianus, quin urina quodammodo critica ſuperveniat: Neque ullum eſſe certius perfectæ curationis

tionis

(*a*) Comment. in Boerh. Aphor. vol. II. p. 565. (*b*) Vid. Barker's Eſſay on the Agreement betwixt antient and modern Phyſicians, p. 41. (*c*) Loc. Citat. p. 232. item p. 267, 9.

tionis indicium, quam vacuatio aut potius mutatio ſedimenti prius rubri lateritii in hypoſtaſin albam, levem et æqualem, inſtar urinæ quæ fit ſub criſe morborum aliorum acutorum: nunc autem citius, nunc ſerius evenit hæc hypoſtaſis bona: De reſtituta autem valetudine, ſine metu recidivæ, certi eſſe non poſſumus, donec apparuerit talis urina. Quod ſi non apparet, febris tamen ceſſat uſu Corticis, reverà non tam extincta videtur febris, quam ſopita; ægrotantis imbecilla eſt valetudo, vires languentes, appetitus proſtratus, cum ſumma anxietate * donec febris regrediatur, aut hydrops, aliuſve affectus cacheticus ægrotantem invadat, aut abſceſſus in aliqua corporis parte producatur.

Operæ pretium nunc erit breviter de ipſis febribus intermittentibus diſſerere, quatenus inſerviat Cortex rectæ earum curationi, et quo melius dein judicare poſſimus, an febris ilico per Corticem auferenda ſit, an non? Sic facilè conciliari poterunt diverſæ medicorum de Cortice ſententiæ anteà memoratæ, dum omnes ad experientiam provocant. Certè nullum abſolutè et ſemper utile invenitur remedium, ſed tempeſtivo uſu tale fit tantùm. Harum febrium autem diverſæ ſpecies ac indoles rectè determinari debent, quia in multorum animis hæc falſa inſedit opinio, quod Cortex in quavis febre intermittente ilicò dandus eſt, et ideò maligni quidem homines ſuggerunt, ac ſi medici, turpis lucri cauſâ, morborum horum curam de induſtria protraherent, quod ab honeſti viri animo quam longiſſimè abeſſe credere fas eſt.

Difficilis licet explicatu ſit hujuſce morbi natura; non ineptè autem hæ febres diſtinguuntur a quibusdam autoribus in *Idiopathicas* et *Sympathicas*. Febris ἰδιοπάθεια, quæ et πρωτοπάθεια audit, morbus *primarius* ac *ſolus*, ſi in corpore euchymo, ab obſtructionibus libero, nullæ appareant indicationes contrariæ, ilicò ſanè, præmiſſis generalibus, Emetic. ſcil. per Corticem Peruvianum tollatur, quò citius, eò melius----Aliter vero ſeſe res habet in febre συμπάθεια, quæ et δευτεροπάθεια dicitur, ubi, alterius morbi ſymptoma cum ſit, nequaquam ilicò tollenda eſt febris, quâ utitur natura ad morbum aliquem pejorem depellendum vel ſanandum, † et ut emendentur illa quæ in ſolidis aut fluidis degeneraverant a

* Hujuſmodi caſum nuper mihi videndi ſuit occaſio, ex improvido Corticis Peruviani uſu. † Quartanam longiſſimam, ſed et ſecuriſſimam, et ab aliis magnis morbis vindicare, pluribus in locis ſapiens monuit *Hippocrates*, ut *Epidem.* lib. i. et *Epidem.* lib. vi. quin et *Aphor.* 70. ſect. v. et alibi. Item *Celſus*, ubi agit de illis notis, quæ in quoque morbi genere vel ſpem vel pericula oſtendunt, lib. ii. cap. viii. p. 70. atque *Hoffmannus* ſe plures noviſſe affirmat, qui poſt Quartanam longævitatem nacti fuère, vol. ii. p. 25. fol.

ſanitatis legibus ante febrim, ſcil. ut purum ab impuro ſegreget, concreta ſolvat, tenacia attenuet, reſiſtentia ſubigat, ſubacta variis viis expellat de corpore, ſi ſanitatis legibus amplius obedire nequeant. Talis itaque intermittens ſibi relicta moleſtum onus brevi excuteret, et ſanum vegetumque corpus daret, ſi ab opere non deturbaretur per intempeſtiva remedia. Dictis dabit ipſa fidem res. Sic v. g. certa obſervata dum docuerunt Quartanam Febrim, quamdiu durat, Epilepticos inſultus cohibere, imò ſæpe radicitùs tollere, meritò concluditur, Quartanam Epileptico accidentem eſſe relinquendam, tollendam minimè. Conſtat etiam alia inveterata mala, et latentiſſimos, nulliſque ferè remediis ſanandos, morbos, cordis palpitationem, epilepſiam, podagram, &c. per intermittentes tolli, vel ſaltem ſuſpendi eorum vim. Simulque patet, per eaſdem febres ad longævitatem corpus diſponi, atque poſteà homines, has febres paſſos, ſi nempe nec malignis ſymptomatibus ſtipatæ, nec vehementes nimis vel diuturnæ fuerint, optimâ ſanitate frui. Ubi ergo per Corticem fugantur tales febres, a quibus tot et tanta beneficia expectari poterant, malè conſulitur ægris quidem; ipſi enim naturæ arma præripimus, quibus hoſtem ſuum potuiſſet confodere. Adeoque requiritur, ut prius ſevero examine inquiratur, an aliquid lateat in corpore, quod febrim requirit, ut citò et tutò tolli poſſit; uti etiam an a febre, ſi relinquatur, expectari poſſit inſignis quædam utilitas, ſive in tollendis inveteratis malis, ſive in mutando corpore ſic, ut ad firmam valetudinem vel ad longævitatem diſponatur; in tali enim caſu Cortice omnino abſtinendum foret——Utinam in omnibus his caſibus æquè in medici poteſtate eſſet febrim intermittentem inducere, ac per Corticem Peruvianum poſſumus eam tollere; ſanè tunc curaremus longè plures morbos chronicos, qui adhuc ſpem medici ſæpiſſimè fallunt, et incurabiles, aliter habentur. Attamen hujus curationis tarditas ſæpè ægris et medicis tædioſa fit, ut licet optimo naturæ conamine inducatur quartana vel tertiana, æger querulus dictis amaris medicum laceſſit, urgetque ut febrim, ipſo etiam nomine odioſam imperitis, ſuffocet, aliterque, ſi medicus etiamnum velit obſiſtere, ſpreto omni bono conſilio, a fraudulentis agyrtis, vel fortè a delirantibus aniculis, intempeſtivum morbi levamen, millenis ſæpius malis ſtipatum ſibi comparat. Sicque, *Incidit in Scillam fugiens vitare Charybdin.*

Neque minus utilis facta eſt diſtinctio harum febrium in *Vernales* et *Autumnales*, quæ etiam olim et apud *Hyppocratem* obſervata fuit, (*a*) et *Sy-*

(*a*) Aphoriſm. ſect. ii, aph. 25--et alibi.

Sydenhamus ei accuratius obſervandæ multum incubuit. Nec ſanè injuriâ. Licet enim ejuſdem nominis febris fuerit, et eundem typum ſervet, ingens tamen diverſitas occurret ſemper tam in ſymptomatibus quam in curatione, prout vernum vel autumnale tempus fuerit. *Vernales* enim intermittentes ſalutares ferè ſemper evadunt, rariſſimè diuturnæ, atque vix ullâ medelâ indigent, ſibi enim relictæ ſponte ut plurimum ceſſare ſolent, præſertim ſi emetico uno aut altero fortè exhibito, Amaris corroboretur ventriculus, ne langueat digeſtio; raro autem ſi unquam in hiſce caſibus Corticem dedit *Sydenhamus*; neque eo neceſſe eſt, niſi in majorem diuturnitatem excurrant, vel in profuſos valdé ſudores ægri reſolvantur. *Autumnalium* autem intermittentium non ita ratio; quæ periculo ſæpè non vacant, longè magis pertinaces ac ſæviores ſunt, atque operoſiori arte et Cortice Peruviano opus eſt ad haſce curandas, difficillimè enim ſanantur ſine Cortice. Præcipuas autem rationes, quæ hujus remedii uſum poſtulant, variaſque cautelas in ejus uſu obſervandas, in uno quaſi paragrapho pro ſumma ſagacitate ſua enumeravit *Celeberrimus Boerhaavius* (*b*) quam igitur verbatim hic proferre non pigebit; quæque omnes plenius et accuratius expenduntur, ſingulatim explicantur, et exemplis optimis illuſtrantur in *Comment. Gerardi Van Swieten*, a quonam autore multa me deprompſiſſe, quæ hiſce pagellis habentur, lubentiſſimè agnoſco; quemque lector ſtudioſus adeat, conſulo. Sic itaque ſeſe habet. "Si autem febris autumnalis vehemens; corpus ex ægritudine debile; morbus jam aliquo tempore duravit; neque ſigna adſint internæ inflammationis; neque collecti alicubi puris, neque obſtructi admodum hujus illiuſve viſceris, Cortice Peruviano abigetur, pulveris, infuſi, extracti, decocti, ſyrupi formâ, cum propriis additis requiſitis, tempore ἀπυρεξίας debito ordine, doſi, regimine, adhibito" ----- Hæ ſunt conditiones, ſub quibus Cortex exhibendus eſt in febre intermittente cum levamine; alioquin raro ſuccedit; nam experientiâ omnium practicorum conſtat, quod non ſine diſcrimine dandum ſit hoc febrifugum; per id enim tollitur quidem pro tempore febris intermittens, verum non ſimul emendantur omnes illæ degenerationes fluidarum et ſolidarum partium corporis, quæ per febrim factæ fuerant, et poſt febrim, aliis etiam methodis ſanatam, ſuperſtites aliquando inveniuntur.

Damnanda igitur quam maximè eſt quorundam medicaſtrorum imperitia & temeritas, qui quemlibet ferè intermittentem febrim, nullâ habitâ

(*b*) Aphoriſmi de cognoſcend. et curand. morbis, ſect. 767.

habitâ circumſtantiarum aut temporum ratione, ſed ſolo ex audito intermitttentis nomine, ſtatim Cortice Peruviano tollere aggrediuntur; nam ſi aliud cum febre malum conjunctum fuerit, id adeò non ſanat Cortex, ut deterius reddat, ſive Cacochymia fuerit, ſive viſcerum labes. Etenim cum morbus ipſe, ſanguiniſque & humorum conſtitutio nunquam ſibi ſimiles ſint in diverſis ægrotis, nihil ineptius fingi poteſt, quam methodum eandem habere ſingulis, & ut vulgari fertur adagio, *omnes eodem Calcipodio calceare*, quod olim a *Galeno* dictum (*d*) memini in medicos quoſdam imperitos, qui, non habitâ ratione temperamenti diverſi, eadem remedia omnibus admovebant. Næ ille profectò qui ſic faceret in Febribus intermittentibus, plures *quam Themiſon ægros autumno occideret uno.*

Medico itaque Piaculum ſit Corticis Peruviani promiſcuus uſus, quamvis opinio increbuit, *quod omnes Febres præcellenti ejuſdem vi debellentur:* in exhibendo etenim eo requiritur ſanè ſumma cautela & prudens tarditas---Ad rectum igitur, ſecurum & efficacem hujus medicamenti uſum ſtabiliendum & confirmandum, ſalutares ſequentes cautiones, ex dictis hauſtæ, non ineptæ videntur, hiſque ritè obſervatis, non facilè quiſpiam Cortice noſtro nocebit.

1*mo*, Neceſſe eſt itaque Cortici Peruviano præparatoria ea remedia præmittere quæ emendatis ſanguinis vitiis, ſi quæ adſint, nimiam Corticis efficaciam mederentur, turbas inde alioquin excitandas compeſcant, atque infortuniis occurrant, ſi quæ forſan imminerent. *Iſthuc* enim *eſt ſapere*, uti Comicus ait (*e*), *non quod ante pedes modo eſt videre, ſed illa etiam quæ futura ſint proſpicere.* Remedia huic ſcopo inſervientia ſunt emetica, purgantia roborantia amara, aperientia ſalina, &c. ut in ſequentibus numeris memorantur.

2*do*, Corticem Peruvianum non exhibere oporet, niſi primis viis, a multâ vitioſorum humorum ſaburrâ,, quâ ſcatent, probè prius liberatis. Ubi magna cruditatum congeries eſt, Corticis uſus eſt periculoſus; pituitoſæ enim ſordes in ventriculo ſtabulantes Corticis particulas oblinunt, & quaſi viſco implicant, eaque de cauſa plurimum obtunditur & impeditur Cortex. Licet etiam morbi hujus præcipua ſedes ſit in extremis vaſis ſanguiferis, aut aliquando forte in Nervis, humorum tamen evacuatio, qui in Tubulo inteſtinali colliguntur, haud minimi eſt momenti, id quod optimè fit per Emetica ante Paroxyſ-

(*d*) Method. Medend. lib. IX. cap. 16. (*e*) Terent. Adelph. Act. III. Scen. IV.

roxyſmum data eo ſpatio, quo ante hunc effectum præſtent; * atque per purgantia roborantia amara, ut Elixr. ſacrum, vel ſimilia, in debita, i. e. parva quantitate ſumpta.

3tio, Neque ad ejus uſum, præſertim in majori copia, eſt inſtituendum, ſi abdominis viſcera obſtructa, vel pulmones muco aut viſciditatibus infarcti & obruti quaſi exiſtunt, vel vaſa plena ſanguine & humoribus turgeant, ſed prius potius obſtructiones reſerentur, infarctuſque expediantur, neceſſe eſt; quod per potum attenuantium, reſolventium remediorum, per ſalia neutra, Mineralia, † vel ſola vel cum Decoct. Radicum & Herbarum aperientium permiſta, per ſufficientem motum corporiſque exercitationem, fotus, &c. efficitur quamoptimè. Vel ubi tuſſis adeſt aut ſpirandi difficultas, a Cortice omninò abſtinendum eſt; nam experimentis omnium Medicorum practicorum conſtat quod nil magis ægris hujuſmodi obeſſe ſolet, quam Cortex; expectorationem enim cohibet, &, ſi continuetur, eos vel ſpatio temporis ſuffocat, aut certè graviorem morbum, Phthiſin ſcil. inducit.

4to, Cortex non eſt exhibendus in Febre aliqua intermittente, quam comitatur Pulſus plenus, celer, durus, cum dolore magno capitis vel alius partis, ſique ſitis & calor ſummus urgeant, vel ſi adſint ſigna inflammationis topicæ vel generalis, cujus reſolutionem prohibet Cortex, vaſa ſcil. ſtringit, & humores quodammodo cogit. Præſtat in hoc caſu per ſanguinis decentes miſſiones * & diluentia optima, modice ſalina remedia & nitroſa, febrem hanc acutæ ſpeciem, ejuſque ſymptomata lenire, mitigare: nam licet poſſet forte per Corticem ſic ſuffocari febris impetus, manens tamen idem ſtimulus, febris cauſa, eam renovaret ilicò —— Hinc videmus quod in febribus acutis continuis inflammatoriis Cortex ſummopere noceret, ideoque non utendus.

5to, Majori adhuc cautione opus eſt, ſi corpora, quibus exhibendum eſt noſtrum febrifugum, viſcera interna, præc. pulmones, ulcere

 quodam

* Emetica ipſa febres intermittentes nonunquam (rarò licet) funditùs extinguunt: vel ſi morbum non tollunt, tutam expediunt febrifugo viam.

† In his caſibus Hoffmannus (vol. II. p. 16.) affirmat, quod Riverii Antefebrilis Potio, bis vel ter quotidie data, egregium affert levamen; & ſimilem, imo ſuperirem, aquis mineralibus, Acidulis dictis, aperientem poſſidet virtutem.

* Niſi autem hæc adſint ſymptomata, ſanguinis miſſio noceret valdè, eâ enim, experientiâ teſte, febris intermittens obfirmatur magis & chronica evadit.

quodam ſuppurata habent, nam his nullum remedium majus damnum infert quam Cortex, expectorationem enim cohibendo, facit ut febris hectica in continuam degeneret, atque majorem Dyſpnæam, &c. parit. In his, ſcil. Phthiſicis, quibus pulmo lenta ſuppuratione tabeſcit, ſæpe obſervatur febris quotidiana, quandoque omnino intermittens, aliquando remittens tantùm, quotidie tamen dum novus chylus majori copia unà cum ſanguine per pulmonem pellitur, exacerbata: illam febrim de intermittentium genere eſſe ideò voluerunt quidam, & Corticis Peruviani vires experiebantur; ſed peſſimo ſemper cum ſucceſſu, quia, manente fomite purulento, ſuffocabatur febrilis motus, per quem debebat concoqui & expediri collectum pus: unde ſumma anxietas, & aliquando mors ipſa ſequebantur. Tota enim curatio talis mali eſt, ut detergeatur & eluatur quaſi illud purulentum, et deinde purus locus, vulneris inſtar, conſolidetur. Fatendum tamen, quod ſæpe extra artis poteſtatem ſit efficere illud, quod indicatio curatoria jubet; unde quotidie in hoc loco pus renaſcitur, et accumulatur, niſi expectoretur; augetur febris, tandemque, conſumto corpore, pereunt exſucci et tabidi.

6to. Neque tandem in febre, licet verâ intermittente, (idiopathica an ſympathica ſit, vernalis an autumnalis) utendum eſt Cortice Peruviano, ſi hypochondria tument, urinæ tenues et limpidæ inſtar aquæ apparent, nullo ſedimento depoſito. Hæc enim ſigna ſunt obſtructi alicujus viſceris Hypochondriaci; et ſi tunc detur Cortex, materies obſtruens pelletur ulterius in vaſa obſtructa, et ibi impacta et retenta moleſtiores creabit morbos chronicos. Atque etiam antequam paroxyſmus frigidus gradu imminuitur et tempore, calorque mitior fit, et ſudores copioſi liberi ſuccedunt, Cortex exhibitus raò votis reſpondet medici vel ægri. In omnibus his caſibus præſtantior ſanè methodus curandi Febrim intermittentem illa videtur, quæ conſpirat cum febre, ut ſolvat concreta, reſeret obſtructa, ſicque æquabilem humorum per omnia vaſa motum reſtituet: ſcil. "Curatio potius exigit, ut aperi-
"entibus ſalinis, alcalicis, aromaticis, mineralibus, diluentibus, o-
"leoſis blandis, calore, motu, fotu, frictione utamur tempore ἀπυρεξίας;
"vel in Paroxyſmi ingruentis initio (*a*)." Dum vero hac methodo ſanatur febris, minus recidivæ periculum eſt.

Sub-

(*a*) Vid. Boerhaav. Aphoriſm. Sect. 758. et Comment. Van Swieten Vol. ii. p. 540. et ſeq.

Sub hiſce itaque conditionibus et cautelis, in Febre intermittente, Cortex Peruvianus eſt exhibendus, non nimis præmaturè, ut prudentiſſimè monuit *Sydenhamus*, antequam febris ſuo ſe marte aliquantisper protriverit. Nihilominus haud negandum eſt quod quandoque experientia, optima veritatum etiam medicarum magiſtra, omnibuſque ratiociniis ſuperior, docet hunc metum planè eſſe ſupervacaneum, atque præmiſſis quidem, ſi opus fuerit, evacuantibus, præc. Emetic. mox ineunte morbo, et antequam febris radices egerit, et ſuccos viſceraque ac vires corporis labefactârit, uſu Corticis vim illius fæliciter frangi et atteri, nihilque damni inde eveniſſe. Atque etiam celeberrimus *Fr. Hoffmannus* (*c*) ex frequentiori obſervatione ſe didiciſſe genuè affirmat, et longè difficiliori negotio, et longè majori cautione, Corticem noſtrum febri opponi, ubi hæc aliquandiu per aliquot hebdomadas, vel menſes, corpori inhæſit, quam ubi haud ita pridem illud invaſit; "eo quod, utì ait ille, quo "diuturnior febris eſt, eo major recrementorum ex diſſolutione ſangui-"nis, per motum calidum inteſtinum, naſcitur copia, quæ poſtea æ-"grius et corrigitur et educitur." Et in hac re ſecum conſentiunt præſtantiſſimi alii in arte viri, ut *Liſterus*, *Mortonus*, *Jones*, et maximè *Bohnius*, qui in peculiari *Diſſertatione de Fuga Febrium minus ſuſpecta*, id argumentum pluribus adſtruxit. Nullæ quippe de aliquâ re dari poſſunt generales Regulæ, quæ æquè omnibus occaſionibus reſpondebunt, hæc res prudentiæ et ſagacitati peritorum Medicorum relinquenda eſt. Si febres ab his autoribus ſic memoratæ *idiopathicæ* fuerunt, haud mirandum eſt, Corticem eas ſub initio optimè curare.

His omnibus jam dictis liceat addere pauca ex *Bernard. Ramazzini*(*d*) expertiſſimo autore, qui ſic de eo differit. "Tutiorem uſum habet "hoc Antefebrile in populari gente, quæ ex manuariis operibus vivit, "quales ſunt artifices continuis laboribus exerciti, quibus cum non "vacet diu in lectulis ægrotare, ſuam ſi velint alere familiam, propi-"nare licet potionem hanc febrifugam, etiam ab initio, paucis præ-"miſſis; ad conſuetos enim labores redeundo, congeſtos humores, "et ſi quid noxæ febrifugum affixerit, ſudore diſcutiunt. Hoc iti-"dem dicendum de mulieribus operoſis, quales ſunt quæ ſervili opere "ſunt addictæ, uti lotrices, textrices, et aliæ hujuſcemodi. Gravi-"dis quoque mulieribus, ſicubi a febre tertiana ſeu quartana corripi-"antur, factâ aliquâ levi purgatione, ſcilicet etiam V. S. lubenter re-"medium

(*c*) In Diſſertatione de recto Corticis Chinæ uſu in febrib. intermittentibus. Operum Vol. VI. p. 38. (*d*) De abuſu Chinæ Chinæ Diſſertat. p. 126.

“ medium hoc præſcribi poterit et cum beneficio, præſertim in poſtre-
“ mis graviditatis menſibus; prævalet enim metus, ne concuſſio illa,
“ quæ in febribus periodicis, et præſertim quartanis contingit, ſætum
“ cum matris periculo poſſit excutere, quod ſi ex China China præju-
“ dicium aliquod ſubſequi poſſet, remedio futuram uterinam proluvi-
“ em, quæ partum conſequitur.”

Quid ſi autem per Corticis Peruviani intempeſtivum uſum ſuffoce-tur Febris, quæ extingui penitus non debuiſſet, tunc appetitu proſtrato laborat æger, languet, de ponderis gravantis ſenſu circa præcordia conqueritur, cum torminibus ventris et borborygmis, atque doloribus periodicis vagis per totum corpus, urinâ interim limpidâ manente, vel, ut quandoque fit, colorem icteritium habente; quid tunc faciendum? Sanè omnino abſtinendum eſt ab ulteriori Corticis uſu ad recidivam præcavendam, et ilicò ſolventiſſimis remediis adhibitis, oportet expectare febris reditum, per quam optimè tolli poterunt illa mala, quorum ſigna poſt Corticem exhibitum apparuerunt. Huic ſcopo imprimis conducunt emetica, dein leniter purgantia, atque Diaphoretica, ſudorifera quoque lenia attenuantia, ut ſpir. Mindereri, &c. maximè proſunt, ad humorem noxium a febrifugo jam domitum foràs eliminandum eâ viâ, quæ maximè humoris genio conducit. Inde ſi non recidiva fiat Febris, ſaltem peſſimæ obſtructiones aliter futuræ referantur aut præcaventur. In hunc finem etiam *Etmullerus* commendat Spiritum ſalis Ammoniaci.

Excuſſis ſic præcipuis Chinæ Chinæ proprietatibus, et cautelis circa ejus uſum obſervandis, reſtat ut demus Doſin ejus, et methodum aptiſſimam eâ utendi, quæ breviter tantummodo attingendæ ſunt, quoniam adeò fuſè et clarè apud autores deſcribuntur, præcipuè apud *Mortonum* vel *Sydenhamum*. Atque hi, ut et alii omnes Autores conſentiunt in hac veritate, quod Cortex in ſubſtantia ſumptus certius ac citius Paroxyſmos febriles ſiſtit, quam ullo modo præparatus. Atque tunc quantitas danda variat pro ſpecie Febris inde curandæ; ſic Quotidianæ Paroxyſmus ſiſtitur vulgò drachmis ii vel iii tempore ἀπυρεξίας ſumptis, Tertianæ unc. ſſ. vel drachm. vi. Quartana vero requirit ſæpe unciam, vel quandoque plus, ad Paroxyſmum tollendum: quæ tamen quantitates iterum iterumque repetere neceſſe erit, poſt aliquot dies, ad recidivam præcavendam. Hæ quantitates autem diviſis doſibus exhibentur, ſc. ſingulis vicibus drachm. ſſ. vel ſcrupul. i. ut æquali temporis intervallo ſingulis doſibus exhibitis, omnis ejus copia aſſumpta ſit, antequam Paroxyſmus exſpectatur.

tatur.

tatur. Minimè tamen in ſtatu Paroxyſmi eſt adhibendus Cortex. Poterit dari formâ pulveris, vel addito ſyrupo quodam officinali aut melle, inde parari Electarium, vel alia quæcunque forma ægri palato gratiſſima, prout medico maximè arridebit. *Infuſa* ex Cortice parantur optimè vino, et ſpiritu vini inde facta *Tinctura* pariter in officinis proſtare ſolet. Coctionem autem diu fert abſque virium jactura Cortex Peruvianus, ut antea memoravimus, et quidem longiorem requirit, ut ſaturatiſſimum inde fiat *Decoctum*, turbidum tunc, flaveſcens, ſpumeſcens, et cum aſtrictione amaricans. Dupla hujus quantitas requiritur pro Doſe.——Tale Decoctum leni igne evaporatum ad mellis ſpiſſitudinem, ſub finem admiſcendo tincturam, et aſſiduè agitando in maſſam uniformem, dat *Extractum Corticis Peruviani* optimum, quod et in officinis habetur, cujus Doſis eſt ſcrup. I. plus minus.--Ubi autem amarum et ingratum Corticis ſaporem faſtidiunt nimis delicati homines vel pueri aut infantes, tuto et æquali cum ſucceſſu clyſmate injectum Corticis Decoctum, vel potius ejus pulvis ſubtiliſſimus aquâ dilutus, idem omnino efficit ac per os aſſumpta eſſet; majori tamen, ſcil. triplâ, plerumque opus eſt doſi ad idem effectum præſtandum. Uno autem alterove Clyſmate ex melle cum ſale Gemmæ, vel ſimili, prius tunc eluenda eſt Alvus, ne fæces in craſſis inteſtinis hærentes obſtent, atque poſtea diutius clyſmata ex Cortice Peruviano parata vacuis inteſtinis retineri poſſint. Simul etiam notandum, hæc clyſmata, cum ſcopus ſit illa retinere in corpore, uncias quinque vel ſex non debere excedere in adultis, vel unciam unam aut alteram in junioribus, ne mole ſuâ inteſtina ad excretionem irritent. *Helvetius Pariſienſis* medicus (*e*) primum ſe hujus methodi inventorem jactat, et magnum ſic curatorum ægrorum numerum recenſet. Atque *Boerhaavii*, aliorumque hodie Medicorum, frequentibus in infantibus, experimentis, hæc res ſatis ſuperque confirmatur.

Durante uſu, diætam quod attinet, cæterumque regimen, non a cibo nec a potu arcendus eſt æger, qualis qualis is fuerit, qui ad Stomachum facit, monente *Sydenhamo* (*f*). Veſcatur itaque carnibus eupeptis euchymis, et vino modicè utatur pro potu ordinario. Vinum præſertim convenit auſteriuſculum et ſtomachicum, ut Rhenanum; rubrum, vel album Gallicum, &c. Cereviſiæ fortiores lupulatæ, probè coctæ, penitus fermentatæ claræ. Animus ſit hilaris, nullo mœrore aut ſolicitudine

cruciatus.

(*e*) Method. omnes febres ita curandi, ut nihil ore aſſumatur, p. 4. &c. (*f*) Epiſtol. I. Reſponſoria, p. 306.

cruciatus. Exercitationes frequentes, eâ tamen lege, ut ſpiritus potius reficiant, quam diſſipent aut defatigent.

Diſcedente demum penitus febre, corpus aliquamdiu in libera perſpiratione adhuc ſervandum, aer gelidus, ventus Borealis ut et Eous, nec non omne externum frigus, loca humida, vappida, vitanda. Neque vero ſe temerè auræ frigidiori committere debet æger, donec ſanguis priſtinum vigorem de novo obtinuerit, uti ait *Sydenhamus*, loco jam citato. A nulla enim re majus recidivæ periculum eſt; imo a frigore videtur ſperaſſe *Celſus* mutationem lentæ continuæ febris in intermittentem. (*g*).

Prætereà poſt Corticis uſum, niſi urgente evidente indicatione, ſolemnis alvi evacuatio per aliquot hebdomadas vel etiam menſes non inſtituenda eſt, nè febris recurrat, conſentientibus tum *Mortono*, tum *Sydenhamo*, *Hoffmanno*, aliiſque. Tuncque ſi neceſſaria ſit, ob pertinacem alvi obſtructionem ægro nocivam, ea primum non niſi Clyſtere emolliente leniter ſtimulante officii admonenda, vel fortè ſolutio Mannæ cum Cremore Tartari locum habere poteſt: haud vero tentanda per purgantia acriora. Et poſt alvi ſubductionem, eo ipſo evacuationis die, et poſtea per aliquot dies, duæ treſve doſes febrifugi ſingulis diebus exhibendæ ſunt, ut malum aliter futurum averruncetur.

Huc uſque de Cortice Peruviano tantummodo egimus, quatenus febres intermittentes, ſpecificè fortè, tollit; ſed et plures alii ſunt morbi, in quibus æquè eminet virtus hujus remedii, quorum præcipuos hic ſingulatim memorare jubet inceptum, licet temporis anguſti limites brevitatem de hac re ſuadeat.

In VULNERIBUS, per tormenta bellica factis, aliiſque, uſum ejus inſignem ad ſuppurationem, uti aiunt, *laudabilem* efficiendam, ſatis nôrunt optimi quivis in arte Chirurgi (*h*). Sed ex obſervatis recentiorum quamplurimis patet, quod in GANGRÆNIS SPHACELISQUE multum proſit idem Cortex, et repetitis doſibus adhibitus ſiſtit ſerpentis mali progreſſum, atque ſuppurationem, adeoque ſeparationem Eſcharæ jam factæ, promovet quam maximè. Relatum habemus, (*i*) Corticem in Gangrænis

(*g*) Lib. III. cap. 9. p. 136. (*h*) Vid. Ranby on Gun-ſhot Wounds.

(*i*) Hoc inventum debetur celebri Chirurgo *Northamptonienſi Ruſhworth*, qui anno 1732 primo hoc obſervavit et publicavit; et poſt eum alii celebres Chirurgi, *Amyand*, *Bradley*, *Douglas*, *Shipton*, ſuis teſtimoniis idem confirmaverunt, ut videre licet in Actis Philoſopicis, No. 426. p. 429. et 434 Abridgement, Tom. VII. p. 643,—652. atque in Actis Medicis Edinburgenſibus, Vol. III. Artic. v. vi. et Vol. IV. Artic. x. plures caſus recenſentur, a variis Chirurgis, quibus hæc Corticis virtus admodum firmatur.

græniſ Sphaceliſque a Cauſà, tum interna, tum externa, ortis, mira præſtitiſſe, et ægros penitus deſperatos, aliis remediis fruſtra tentatis, priſtinæ ſanitati reſtituiſſe. Et in graviſſimis certè hujuſmodi caſibus pulcherrimos ejus ſucceſſus me ſæpius vidiſſe lætus recordor. Ideoque a quibuſdam Gangrænas Sphaceloſque omnes prohibere, imò curare ſpecificè dicitur, non quod partem jam mortuam et gangrænoſam iterum in gratiam reſtituat, et vitæ reddat, ſed quod vi quâdam corroborante ſuppurationem circa margines mortuæ partis promovet, vires vitæ auget, adeoque removet et expellit Gangrænam. Notandum tamen eſt (ut ex obſervationibus fidiſſimis noſtri medicinæ Profeſſoris primum didici) quod non æquè in omnibus Gangrænis, a quacunque cauſa ortis, prodeſt Cortex, neque igitur omnibus hujuſmodi ægris eſt exhibendus. Si enim Gangræna fiat in corpore juvenili, plethorico et robuſto, orta a valida inflammatione, comitante acutâ admodum febre, et ſi pulſus durus, celer, et vires vitæ eodem tempore magnæ, Cortex huic ægro exhibitus non modo non prodeſt, ſed etiam potius nocet, et Gangrænam citius in ſphacelum et mortem totius vertit. In corpore autem ſenili et debili, ubi vires vitæ prorſus languent, magnis aut diuturnis prægreſſis evacuationibus quibuſdam, et ſi Gangræna ideò potius ortum duxerit, *a defectu vitalis influentiæ*, (uti loquitur *Boerhaavius* Aphor. §. 424.) Cortex Peruvianus datus et repetitus certè egregium fert auxilium, nam corpus firmando (ut aiunt) ſanguinis impetum auget, adeòque facit ut vaſa circa margines Eſcaræ facillimè in pus diſſolvantur, et ſuppuratione ſic factâ, pars gangrænoſa decidat, et vulnus ſic purum relinquatur. Præſcribitur in hiſce caſibus ad drach. ſs. ſub boli, miſturæ, aut aliâ quâlibet formâ, quartâ quâque horâ quotidie ſumend: Simul partem gangrænoſam vel ſphacelatam, Terebinthinæ oleo, aut alio quovis remedio accomodato, illiniendo.

Kinam Kinam quoque adverſus Peſtem utiliſſimam cenſuit Medicinalis Facultas *Neapolitana*, et in ejus cura adhibendam juſſit, referente D. *Geoffroy* (*g*), quibuscum adſentit etiam *Mortonus*. Atqui ſi meam de Cortice hoc in caſu proferre liceat ſententiam, febribus inflammatoriis, putridis, malignis et peſtilentialibus profligandis impar omnino videtur. Sed vix neceſſe eſt contra errores pugnare, qui cum autoribus jamdudum ſunt ſepulti.

In Variolis, tempore declinationis morbi uſum Corticis Peruviani ſuadet *Mortonus*, (*h*) nempè cum febris poſt veneni morbidi eruptionem adhuc

(*g*) Tract. de Mater. Medic. vol. ii. p. 192. (*h*) Exercitat. iii. de febribus, cap. x.

adhuc perſeverat, et Continuæ Remittentis typum jam obſervare incipit. ----Sed peritiſſimus Anatomiæ et Chirurgiæ Profeſſor noſter Monro (cui tam pulchra alia debentur tum in anatomicis tum in chirurgicis inventa) primus, quatenus ego novi, accuratè obſervavit et celebravit (*i*) Corticis inſignem uſum in variolarum maturatione et ſuppuratione promovenda, ad finem inflammationis, ubi veſiculæ lymphâ rubellâ diſtentæ adſunt, gangrænoſæ indolis indices, vel in locis inter puſtulas liberis maculæ purpureæ lethalem gangrænam deſignant. In hiſce tamen periculoſiſſimis caſibus Cortex Peruvianus exhibitus optimos ſæpe præſtat effectus, puſtulæ illæ brevi dein matureſcunt, albeſcunt, flavent, et Petechiæ iſtæ penitus diſparent, atque ſic curæ fæliciſſimæ ſæpe perficiuntur. Veruntamen in hoc remedio exhibendo hic ut ubique magnâ cautione et prudentiâ opus eſt, ne aliter noceat, quod et optimè monuit ipſe Monro, in eodem tractatulo, quo ejus uſum commendat, qui itaque benè legi meretur.

Ad Aphthas et Singultus, quæ ſub exitum Febris novæ Epidemicæ quam deſcribit *Sydenhamus*, (*k*) ſupervenêre, certius remedium deprehendebatur Cortex Peruvianus, quam aliud quodvis etiam è celebratiſſimis.

Adhæc Cortex noſter eximias mirandaſque vires, in ſanguine et ſpiritibus confortandis invigorandiſque, habere nonunquam deprehenditur, referente eodem *Sydenhamo* (*l*) cujus ſcrupulum unum manè et ſerò ad ſeptimanas aliquot deglutitum, ſanam firmamque corporis craſin (tam viris hypochondriacis, quam hyſtericis fæminis, diu multumque ægrotantibus, dejectâque jam quaſi corporis œconomiâ) reſtituiſſe obſervavit idem Autor. Interim tamen confitetur ingenuè, quòd hoc medicamentum non ita certò crebròque huic malo ſuccurrat, ac febribus intermittentibus. Forte medicamenta Antihyſterica et Chalybeata cum eo miſta efficaciam ejus augerent in hoc tædioſo admodum malo; et ſæpenumero in talibus caſibus optimos effectus præſtitit electarium ex Corticis Peruviani et Theriacæ Andromachi $\overline{aa}$ *p. æ.*

In *Fluxu menſium nimio*, ac in *Fluore albo uterino* cohibendo, virtutes haud mediocres poſſidet Cortex noſter, vaſa ſc. roborando leviterque ſtringendo, et humores quodammodo compingendo.

In *Podagra* ipſa, ad ventriculi concoctionem promovendam et roborandam, ſummoperè confert Cortex Peruvianus, ſi ejus grana aliquot manè

(*i*) Vid. Medical Eſſays, vol. v. Artic. x. (*k*) Schedula monitoria de novo febris ingreſſu, p. 523, 534. (*l*) Diſſertatio epiſtolaris——p. 412.

nè et ſerò adſumantur, *(m)* vel ſi cum Chalybeatis in vino generoſo, i. e. *Claret*, infundatur, ut monuit clariſſimus Medicus *Cheyne. (n)*

In *Febribus lentis continuis*, (*Nervoſis* uti dicuntur apud nos) commendatur Cortex a Medico ingenioſo *Dumfriſienſi*, *Gilchriſt*, (*o*) ſcil. in declinatione morbi, ubi ex abſtinentia diuturna vel intempeſtivis evacuationibus prægreſſis, natura admodum languet, præ inertia ſolidorum et defectu fluidorum, et vel ad minimum remittere videtur febris, cum pulſu debili, et circuitu ſanguinis per vaſa cerebri penes ſuppreſſo, et deliquiis frequenter inde ortis, in tali caſu, ait autor noſter, Cortex Peruvianus exhibitus optimum cardiacum eſt, fibras roborat, ſpirituſque excitat.

Puerperis valde familiaris eſt a leviſſima cauſa Febris ſubita brevis (nostratibus a *Weed* dicta) exactè ſimilis paroxyſmo febris intermittentis vulgaris, quæ ſi ſæpius recurrat miſeras ægras valdè debilitat, et impedit quo minus ſanitatem ſuam priſtinam recuperent. In hoc caſu, ſi lochia antea jam debitâ quantitate fluxerunt, fortè nullum remedium antecellit Cortici huic, qui debitâ doſi et cum regimine datus, hoſce paroxyſmos prohibet, robur et tonum fibris reſtituit, unde citò vires redintegrantur.

Infantes, et adulti etiam, ſæpiſſimè Vermibus inteſtinalibus infeſtantur, præcipuè torpidi leucophlegmatici, et ii quorum laxa et debilis eſt viſcerum corporiſque compages, pituitam inteſtinalem vel gaſtricam generans, in qua hærent, foventur, pariunt, augenturque hæc animalia. Remedia aromatica amara his ægris inſigniter proſunt, quibus omnibus æquat, ſi non valdè excellit, Cortex Peruvianus pulverat. nidum deſtruendo, inteſtina roborando ne amplius generetur, vermeſque ipſos expellendo, præcipuè ſi cum Pulv. Stanni aut Chalybeatis miſceatur, ut experientiâ Medici hujus urbis laudatiſſimi diu multumque compertum eſt. An autem Vermes ipſos ſpecificè necat aut tollit, nondum ſatis innotuit. Mererur certè rei hujus dignitas, ut datâ quâvis occaſione tentetur quid Cortex Peruvianus in his morbis valeat.

Ex jam dictis de Cortice Peruviano (quæ augeri quidem poſſent in molem longè majorem, ſi tempus permitteret) luculenter, ni fallor, apparet quanti uſus ſit in Praxi Medica hocce Americanum Pharmacum,

H quamque

(*m*) *Sydenhami* tractatus de Podagra —— p. 454. (*n*) See his Eſſay on the Gout, p. 24. (*o*) See his Treatiſe on Nervous Fevers, in the Medical Eſſays, vol. vi. Art. 48.

quamque nobile et ſalutiferum ſit in plurimis morbis remedium ſub regimine prudentis medici: ſed et ſimul patuit gladium eſſe in imperiti manu, et malorum terribilium catervam aliquando comitari ejus intempeſtivum uſum, adeo ut *Ramazzini* aliique non dubitarunt pronunciare eum magis damnoſum eſſe quam utilem, et loquuntur de eo, quod de Ottone ſcripſit Tacitus, *tantundem apud poſteros meruit bonæ famæ, quantum malæ.* Præproperè fortè ſic judicatur. Atqui licet omnia quæ de eo maledicuntur ſint veriſſima, an ideo ſpernendus Cortex? minime quidem. Ullumne datur remedium vel utiliſſimum, quod non aliquando noceat? alimentum mitiſſimum ob exceſſum venenum fit quandoque. Haud equidem nego, aliquoties ſine Cortice, vel a veterum Febrifugis, febres intermittentes fæliciter extirpari, imò certis caſibus oportere nos a Cortice abſtinere omninò, ut antea oſtendimus: at vero pernego poſſe, inde unquam colligi Corticem ſemper omittendum eſſe in curatione febris intermittentis cujuſcunque. Quaſi vero, ſi quid ſemel iterumve proſperè ſucceſſerit caſu vel fortunâ, debeat ilicò inde exemplum ſumi, quod in poſterum norma fiat, etiam contra æquum et bonum: aut quod pejus eſt, quaſi nefas foret, ad conſilia tutius exſequenda, novis et munitioribus viis uti, quas indefeſſa rerum obſervatio fæliciter parturit ad utilitates noſtras. Næ mihi videntur, qui ſic vitilitigant non firmiore cauſâ niti, quam ſi quis præfractè ideo contendat, navigationis curſum ſine pyxide nautica fæliciter nunc regi et poſſe et debere, quod contigerit forſan aliquando, ut in regenda navi, ventis ſecundis acta, pyxis nulli fuerit uſui, vel quod conſtet Scriptorum teſtimoniis a veteribus olim pyxide deſtitutis ſatis fæliciter aliquoties navigatum fuiſſe. Ergo Corticem hunc, qui ex abuſu et improvida ejus adminiſtratione maximas ſtrages edere queat, è foro medico ideò relegare et proſcribere, ridiculum admodum foret. Prudens temporis opportuni exſpectatio ita ſanè neceſſaria eſt in omnibus moliminibus, ut ſine ea fruſtraneus erit omnis conatus; et ſcitè ſic cecinit Poëta (*p*).

Temporibus medicina valet: data tempore proſunt:
Et data non apto tempore vina nocent.

Cautela igitur in Cortice propinando ægrotis non mediocris adhibenda eſt, ne aliter non inde morbi ſed vitæ fiat FINIS.

(*p*) Ovid. Lib. II. de Remed. Amor.

ATQUE

Atque hæc ego, occupatior paulo quam par eſt ei qui legentibus ſatisfacere velit, fortaſſè ſcripſi. Quæcunque tamen ſit de his quæ dicta ſunt legentium opinio, gratiam apud eos me eſſe conſecuturum ſpero, ſi ſuper hac re virorum in arte medica illuſtrium ſententias rectè patefecerim: ulterius autem nihil ſpondebam. Utinam tempus atque ingenium mihi ſuppetîſſent ad hanc Diſſertationem corrigendam, ac perficiendam pro votis meis, aut Rei dignitate. Si quos forſan in errores minus cautè impegerim, (ut et Errare humanum eſt) ſaltem hoc nomine veniam merear, quod et in his et aliis omnibus, plura vel meliora ſemper doceri me paratiſſimum profiteor; et liceat jam cum *Demea Terentiano* concludere (*q*).

Nunquam ita quiſquam, bene ſubductâ ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, uſus, ſemper aliquid apportet novi,
Aliquid moneat; ut illa, quæ te ſcire credas, neſcias;
Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies.

(*q*) Adelphi, Act. V. Scen. II.

ERRATA, quæ corrigat ipſe B. L.

Pag.	Lin.		
1.	4. 5.	delarentur *lege*	deferrentur.
5.	13.	Europæ	Europæi
6.	8.	viderenter	viderentur
ib.	26.	eundum	eundem
8.	1.	(*t*)	(*q*)
20.	8.	*Callipodio calleare*	*Calopodio calceare,*
16.	ult.	*not.* p. 41. *add.* item p. 267, 8, 9.	